



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Dissertationes Juridico-Theologicæ De Jure, & Justitia**

**Karchne, Simon**

**Augustæ Vindelicorum ; [Graz], 1714**

§. II. De varijs speciebus servitutuis, urbanæ & rusticanæ

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40013**

circo vocatur *ades*, inter quæ etiam numerantur stabula meritoria pro recipiendis mercede tam equis, quam hostibus. Rusticanum prædium est, quod principaliter est exstructum in usum pro conservandis fructibus, & pecoribus, uti sunt stabula, granaria, horti olitorij, herrea separatim exstantia, quæ omnia Comuni nomine vocantur fundi. Varias tam prædialis rusticæ quam urbanæ servitutis species vide apud Cit. Haunold. à n. 159. ad 200. Aliquas mox subjiciemus.



§. II.

De varijs speciebus servitutis Urbanae & Rusticanae.

DE hoc vide infra à n. 413.

§. III.

De pignore ejusque differentia ab hypotheca.

140. IN jure maximè momenti est nosse, in quo sensu voces accipiuntur, quia ab eorum acceptione pender, qualiter legislator usurpaverit, cum ex vocibus ejus mens judicanda sit, unde cum vox pignus, & hypotheca diversimodè sumatur in jure, ad evitandam confusionem usus duplicis hujus vocis, est prænotandus;

Sumitur igitur primo pro contractu fundante actiones pignoratitias: unde cum in latiore Significatione pignus, & hypotheca idem sonent L. 5. §. 1. ff. de pignoribus & hypothecis, hoc sensu pignus; ac hypotheca nominis tantum sono differt, nempe ut notant interpretes, si considerentur relatè ad actionem hypothecariam, proprie autem pignus dicitur, inquit Lex §. 1. ff. de pignorat. act. quod ad creditorem transit, hypothecam autem, cum non transit, nec

possessio ad creditorem. Sic sumitur pignus toties nempe strictè, quando aliquid onus illi imponitur.

Secundò sumitur pro pignoris Instrumento L. 22. ff. eodem. Tertio pro objecto materiali dicti contractus, seu re, quæ datur in pignus. Quarto pro ejusdem contractus effectu, seu pro jure exinde creditori quasi. Porro cum hic contractus à jure adnumeretur contractibus, qui re, seu rei traditione perficiuntur, hicque conceptus sit specificus, nec hypothecæ communis, hinc prius est exponendus conceptus generalis, seu communis pignori, & hypothecæ specificè sumptis, postea utriusque specificè differentia.

Dico primò pignus sumptum pro contractu sub generali conceptu præscindente à specifico conceptu pignoris, & hypothecæ est contractus quo aliquid cre-